



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam  
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac  
subsídium

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1685**

§. 3. De Abnegatione sui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

cum imagine renovanda petitur, ut videlicet 1. Sordes & maculæ eluantur; id quod per generalem confessionem, & frequentem contritionem elicitam impletur. 2. Novi colores apponantur; quod fit per ipsam votorum renovationem, novaque alia proposita per varias meditationes excitata. 3. Velum obducatur, ne tam facile iterum per pulveres aut aures maculetur; id quod perficitur, dum radices & causas imperfectionum indagantur, & efficacia medicinas eas deinceps removendas excogitantur.

## §. III.

*Abnegatio sui.*

I. Est summa rerum omnium vitæ Superbia oblivio, atque à suis voluptatibus recessio, ut S. Basiliius in reg. fusiùs disp. definit; de qua conari debet Asceta, ut cognitionem, æstimationem, & praxin sufficientem acquirat.

II. Et cognitionem quidem quod attinet, hæc non difficulter acquirat, si bene perpendat doctrinam à S. Dorotheo sequentibus verbis datam. Pars Sancti & Majores nostri sibi ipsis Mundum crucifixum, per dura certamina, sese quoque mundo crucifixum. Nos verò videmur nobis ipsis mundum crucifixum, quia reliquimus eum, & ad Monasterium divertimus; at nolumus nos Mundo crucifigere, ab huc enim in animo nostro vigent blanditiæ illius, ab huc in nobis ipsis affectum abscondimus. Compatimur illius gloriæ, compatimur delicijs & voluptatibus, compatimur ornamentis & vestibus, ob viles & inanes res delabimur plerumque ad pristinas ejus passionem

fiones. Quod sanè non nisi ex amentia provenit, ut, qui pretiosas & magnas res reliquimus, ob minimas plurimum perturbemur. Atque id à nobis pessimè; ut enim Mundo & ejus rebus abrenunciavimus, ita & pristinis ejus passionibus abrenunciare debemus.

III. Praxin verò abnegationis ex sequenti S. Nili Abbatis doctrina discet. Consulendum est, inquit, iis, qui nuper à mundi tumultu discesserunt, ut quietem & silentium colant, caveântque, ne frequentius in publicum prodeundo, vulnera per sensus accepta cogitatione renovent, néve antiquis peccatorum similitudinibus alias formas adjungant; mens enim eorum, qui nuper à malitia recesserunt, similis est corpori ex diuturno morbo convalescere incipienti, quod nondum confirmatis viribus quælibet affectio in graviores morbum impellit. Unde & S. Bernardus ait, omnis nova conversio pristinae vitæ habet permistionem.

IV. Æstimationem denique ex doctrina ab ipso Christo S. Mariæ Magdadenæ de Pazzis data concipiet; sic enim ei dixit: Inter impedimenta donorum S. Spiritûs non tantum sunt ea peccata, quæ DEUM expellunt ex anima, sed & propria voluntas, & proprium judicium eorum, qui modo suo volunt servire DEO. Qui quidem desiderant Spiritum Sanctum, sed eum desiderant eo modo, qui illis placet, & qui illis videtur, & sic se reddunt inhabiles ad percipiendum eum, qui est, tanquam hamus quidam, quo DEUS vult capere animam ex se adeò vilem.

\* \*  
\*

§. IV.